

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo S.Bartholomaei

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

IN DIE FESTO S. BARTHO- LOMÆI.

Evangelium Luc. 22. v. 24. -- 30.

EXORDIUM.

ô Præsians!

PErvasit serpens in Paradiso *Evam*, quodsi comesura esset cum Adamo ex ligno scientiæ boni & mali, aperiendi sint oculi illorum, & futuri sicut Deus, scientes bonum & malum. Audiens hoc Eva, ambitionis virus animum ejus perculit, ut contra interdictum divinum comederit de ligno scientiæ boni & mali, dederitque viro suo, qui & ipse comederit. Hoc modo peccatum commissum, imago Dei amissa, & mors in mundum introducta fuit.

Illexit hinc *Evam*, ambitio & superbia, quod sorte suâ non contenta, cum tamen imagine divina decorata, quasi Deum terrenum præsentaret, etiam Deo similem fore affectarit, extendebat itaque manum suam, & hoc ipso quod fructum vetitum decerpebat, Numinis supremi gloriam affectabat, crimen læsæ Majestatis hoc modo committens: quo se & nos omnes ejus posteros in æternam & temporalem mortem præcipitavit. Æternam quidem Servator noster pientissimus morte & sanguine sua sustulit, nosque fideles suos ab eâ redemit: at temporalem omnes propterea subire cogimur. Hinc illæ lacrymæ! hinc nostra confusio!

Sicut igitur mulier seducta in prævaricatione fuit, 1. Tim. 2. v. 14. Ita & hodie tenus filii & posteri ejus, ab eâ hæreditariò accipiunt superbiã & ambitionem, ut

viribus suis majora aggrediantur, cum tamen plurima super sensum hominum ostensa ipsis sint, Sir. 3. v. 25.

Exemplum habemus in prælecta Pericope in discipulis Christi, in qua eos ad eò ambitionis cæstro percitos audimus, ut quilibet illorum prærogativam in Regno, quod somniabant, Christi terreno, quæsi- verit, & primum locum affectarit. Et quia nemo illorum postremum se vult, in contentionem gravissimam erumpunt, quam tamen Christus mansuetudine & humanitate sua tempektivè vicissim sedavit, ut ipsa Pericope testatur.

Nos Instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

NE irascamini in viâ, dixit Josephus ad fratres suos, cum frumento oneratos eos dimitteret ad Patrem Jacobum, Gen. 45. v. 24. Hoc nobis quoque qui nunc in vivis sumus, dictum est. Omnes enim in viâ sumus ad patriam nostram, non enim hinc inquilini sumus, sed πολιτευμα nostrum in cælis est, Phil. 3. v. 20. Nequaquam igitur inter nos contentiones sint, ubi

ssss

ubi

ubi enim zelus & contentio, ibi confufio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16. id quod ex ipfo Evangelio perfpicitur.

Querela respicit

I. *Apostolorum contentionem.* Ubi Græca vox indicat, quod magno clamore & verbis asperis inter se contenderint, ubi probabile est, Petrum & Andream prærogativam ætatis & temporis, Jacobum & Johannem jus confanguinitatis, alios dona sua excellentiora allegaffe, adeoque primatum & præminentiam obtinere, concertaffe.

Adhuc hodiè inter nos rixosi plurimi reperiuntur, qui sæpè de lanâ caprinâ rixari non dubitant, hi fi verbis jus suum obtinere nequeant, ad convitia & verbera non rarò confugiunt; hinc Salomo: Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; fic homo litigiosus accendit rixas, Prov. 26. v. 21. Confinia sunt huic vitio

1. *Blasphemia*, sicut in duobus istis viris videmus, qui jurgabantur inter se, & adeò exacerbabantur, ut alter blasphemaret nomen Domini, ideoque lapidibus opprimeretur, Levit. 24. v. 10. seqq.

2. *Calumnia*; qui enim, quæ vult dicit, quæ non vult, sæpius audit. Hinc Salomo: ne erumpas mox in jurgium: ne postea emendare non possis, cum de honestaveris proximum tuum, Prov. 25. v. 8.

3. *Homicidia*. Sicut vocabulum *φλονευκία*, quod hîc adhibetur, ejusmodi contentionem notat, ex qua cædes & homicidium facilè nasci potest. Hinc & usurpatur de contentione Oniæ & Simonis, super quâ nonnulli perempti sunt, 2. Macc. 4. v. 4. sicut & hîc facilè fieri potuiffet, nisi mansuetiffimus Servator in tempore in-

terveniffet, & huic altercationi finem impoffiffet. Sicut enim ante ignem camini vapor & fumus ignis inalatur: fic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ & minæ præcedunt, Sir. 22. v. 30.

Nos fugientes hoc vitium, mansuetudini studeamus, exemplo Abraham, qui cum facta esset rixa inter pastores suos & fratris Loth, dicebat: Ne quæfo fit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce, univerfa terra coràm te est; recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam, Genes. 13. v. 8. 9. Nam honor est homini, quiescere à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis, Prov. 20. v. 3.

II. *Apostolorum ambitionem.* Contenderunt enim de primatu, quis eorum videretur esse major. Detestabile sanè vitium, quod omnibus Christianis cane & angue pejus fugiendum, præcipuè quia duos malos comites habet, obtrectationem & invidiam, sicut exemplum Apostolorum hîc probat. Eò respicit Paulus, inquit: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, Gal. 5. v. 26.

Unde tot hæreses & schismata in religione oriuntur? Ab ambitione. Hæc Arium occupaverat, ut divinitatem Christi negaret, Nestorium infecerat, ut ex duobus Christi naturis, duos Christos facturus esset, Papam Romanum pellexit, ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, & extollatur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, 2. Thesl. 2. v. 4.

Unde hodiè tot funesta bella? Ambitio

rio animos Magnatum feriit, ut titulis, insignibus, & Regionibus suis non contenti, plus ultra meditentur. Hinc audiuntur prælia, & rumores præliorum: confurgit gens contra gentem, & Regnum contra Regnum, Matth. 24. v. 6. 7.

Unde est, quod conjuges in œconomia nonnunquam in tanta diffensione vivant? Ambitio in culpa est. Quia enim aut vir dominio suo in mulierem abutitur, ut eam pro subfello reputet: Aut uxor propter formam aut divitias cristas tollit, ut marito pauperiem exprobet, hinc diffensiones, rixæ, jurgia, verbera, ut quandoque & divortia meditentur, & vinculum conjugale solvere non vereantur. Hoc ita in omnibus Hierarchiis ambitio efficit.

Sed audite obsecro, Vos mei! Salomonem: Abominatio Domini est omnis arrogans; etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Et contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur Spiritus, Prov. 16. v. 5. 18. Hoc ita compererunt ambitiosi Angeli, quos Deus de principatu suo deturbavit; Protoplasti, quos paradiso exterminavit; Saul cui Regnum ademittit, Nabuchodonosor, quem ratione privatum in bestiam commutavit; Hamanum, quem in patibulo suspendit. Breviter: gradientes in superbia, potest ille humiliare, Dan. 4. v. ult.

Utinam quilibet ex animo cum Davide dicere possit: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me, Psal. 131. v. 1. 2. Sic Dominus gratiam suam abundantius largiretur, ut exaltaret nos in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 5. 6.

III. Perversam de Regno Christi conceptionem. Opinabantur Apostoli, terrenum Christi Regnum fore, idè disceptabant inter se, quis illorum major videretur. Hi homines quadriennium fermè scholam Christi frequentarant, & in eà fideliter à Magistro suo instituti erant, quod non terrenum, sed spirituale Regnum haberet, in quo quilibet, qui discipulus ejus esse velit, crucem suam tollere, & Christum sequi deberet, Matth. 16. v. 24. nihilominus in præcepta sua opinione adèd tenaces sunt, ut ceterò sibi persuadeant, Dominum & Magistrum suum Regnum tale auspiciaturum, Herodem & Pilatum è Regione ejectionum, & sessiones illorum sibi dispartiturum esse.

In hæc absurda opinione Judæi adhuc hærent, somniantes, si Messias venerit, quem nondum venisse arbitrantur, cum Regnum mundanum inchoaturum, à jugo Romano se redempturum, & in Palæstinam reduturum esse, ubi in variis delictis victuri & aliis gentibus dominaturi essent. Quod & Turcarum & Chiliastarum somnium esse amat.

Verùm vana hæc sunt, quæ illi de gaudio mundano ita somniant. Christus non venit, nec venturus est, ut Regnum terrenum in hoc mundo ordiatur. Regnum ejus est *Regnum Crucis*, quod quia averfamur, ejusmodi Messiam optamus, qui nobis sine labore cibum procuret, ut turba in Evangelio, Joh. 6. v. 10. Ast perstat effatum Christi: Regnum meum non est de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. Luc. 14. v. 27. Qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.

lus, Equo proinde animo Crucis onus subeamus. Quamvis enim disciplina in presenti quidem videatur, non esse gaudii, sed mœroris: fructum tamen tranquillum exercitatis per illam reddet justitiæ, Hebr. 12. v. 11. Huc igitur oculos intendamus. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbrem temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit, Jac. 5. v. 7. 8. ibi non gaudium mundanum transitorium: sed abundantiam gaudiorum expectamus cum vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus in æternum, Psalm. 16. vers. ult.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
 I. *Ex Christi in corrigendo humanitate.*
 Non enim acerbè eos increpat, si quidem mitis est, Matth. 11. v. 29. sed opinionem de Regno terreno illis eximit, explicans conditionem & qualitatem Regni sui, quæ non consistit in dominando & regnando, sed in ferviendo, quod suo ipsius exemplo ostendit, & probat.

De hac Messis lenitate, quæ in arguendo usus sit, dudum prædictum est, 2. Sam. 7. v. 14. Esa. 42. v. 1. seqq.

Hinc solatium nobis emergit. In multis nos offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. etiam justus in die septies cadit, Prov. 24. v. 16. Hoc quidem Deus in verbo reprehendit in nobis, sed non illico abjicit nos à facie sua, ut Ahasyerus Vasthi immorigeram

repudiavit, Esther, 1. v. 21. sed cum ceciderit benedictus Domini, non projicitur, quia Dominus sustentat manum suam, Psal. 37. v. 24.

Sic Davidem propter adulterium & Homicidium, 2. Sam. 12. v. 7. 13. & Petrum propter abnegationem non abjecit, sed in gratiam recepit resipiscens, Luc. 22. v. 61.

Quid mater facit, filium habens infirmum? Non sane abjicit illum, aut negligit, sed propter infirmitatem, eò accuratorem ejus curam gerit. Sic & Servator noster animo in nos verè paterno & materno accensus est, Psal. 103. v. 13, Esa. 49. v. 15. unde ex cordiali patientia & mansuetudine, qua nos prosequitur, delinquentibus nobis per Paulum dicit: Fratres, si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujuscemodi instaurate in spiritu lenitatis Gal. 6. v. 1. Causa hæc est, quia Deus patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 9.

Quando igitur Deus te peccantem arguit in verbo, vel per præcones suos, reputa esse verbera diligentis, quibus te emendate & ad pœnitentiam adducere satagit.

Cum Paulus minas & cædes spiraret in discipulos Domini, objurgabat eum Christus voce cælitus delapsa: Saul, Saul, quid me persequeris? Sed hoc mediū erat conversionis ejus, Act. 9. v. 1. seqq. Disciplinam igitur Domini ne abjicias, nec irascaris, cum ab eo corripieris: quem enim diligit

diligit Dominus corripit: & quasi Pater in Filio beneplacitum habet, Proverb. 3. v. 11. 12.

II. *Ex fingulari Chrifti humilitate.* Fuit enim in medio difcipulorum fuorum, ficut qui miniftrat, ut ipfe hic ait. Quo ipfo nobis non modò exemplum humilitatis præbuit, ut hanc ab illo difceremus, Matth. 11. v. 29. fed & ardentem fuam, in nos caritatem oftendit, quàm benevolè in nos affectus fit, qui propofito fibi gaudio fufinuerit crucem propter nos, confufione contentâ, Hebr. 12. v. 2. Phil. 2. v. 6. 7. omnia eo fine, ut nos Dominos, & Reges atque Sacerdotes conftituaret coram Deo & Patre ejus, Apoc. 1. v. 6. ut rectè exclamemus cum Davide: Quid homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam vifitas eum? Pfal. 8. v. 5.

Protoplafti noftri non contenti erant, ut ceu fervi Altiffimi, fervirent coram ipfo in iuftitiâ & fanctitate omnibus diebus, Luc. 1. v. 74. neque contenti erant Domino totius mundi, quod Deus ipsis concefferat, Gen. 1. v. 28. fed & Deo affimilari volebant, Gen. 3. v. 5. hanc eorum superbiam expiavit Chriftus, factus fervus Patris fui, ut dicitur, Efa. 49. v. 6. c. 52. v. 13. imò minifter hominum, dum non modò pedes difcipulorum lavit: fed & sermonem Evangelii prædicavit, & pertransiit, benefaciendo & fanando omnes oppreffos à Diabolo, Act. 10. v. 37.

Laboravit pro nobis fideliter & affidue, ut ipfe ait, Efa. 43. v. 24. 25. ut calcans in torculari, Efa. 43. v. 2. dum factus eft fudor ejus, tanquam guttæ fanguinis, decurrentes in terram, Luc. 22. v. 44.

Nos fervire in æternum debebamus in ergaftulo Diaboli. A quo enim quis fuperratus eft, hujus & fervus eft, 2. Petr. 2. v. 19. at Chriftus fervus fervorum factus eft, ne in æternum ferviremus: hinc fi filius nos liberavit, verè liberi fumus, Joh. 8. v. 36.

Si quis in V. T. mancipium habebat, illud anno Jubilæo adventante liberum dimittere cogebatur, vilegis, Levit. 25. v. 39. feqq. Sic & nos Satanæ mancipia facti, fub peccato venundati fuimus, Rom. 7. v. 14. Verùm ut lætiffimum Jubilæum in Chrifto cæpit, Satanæ nos dimittere coactus eft, fortior enim fuperveniens vicit eum, Luc. 11. v. 22. & diffolvit opera ejus, 1. Joh. 3. v. 8. Gratias igitur Deo, quod fuimus feryi peccati, obedivimus autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi fumus. Liberati autem à peccato, feryi facti fumus iuftitiæ, Rom. 6. v. 17. 18.

III. *Ex futuri noftri ftatus jucunditate.* De quâ Servator ad difcipulos: Vos autem eftis, qui permaniftis mecum in tentationibus meis. Et ego difpono &c.

Apoftoli cogitare potuiffent, fi in mundo nulla nobis tecum voluptas fperanda, fed aliis ferviendum, & nil nili miferiæ & perlecutiones perferendæ erunt, ftolide fanè egimus, quod omnia noftra reliquimus, & te fecuti fumus, ut & Petrus argumentatur, Matth. 19. v. 27. idèd ipsis Servator folatium fuggert, & q. d.

Durate, & vosmet rebus feryate fecundis!

non enim fruflrà me fecuti eftis, fed copiofam mercedem expectabitis, fi non in terrâ, certè in cælo. Quod declarat ipsis triplici fimili:

1. *Sub imagine Regni.* Ait enim: Difpono vobis

lsss 3

vobis

vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. Id est Regnum gloria, ubi gloriam suam tam Angelis, quam electis manifestat, ubi Sol & clypeus est Dominus, gratiam & gloriam dabit, nec privabit bonis, eos, qui ambulant in innocentia, Psal. 84. v. 12. imponit illis triplicem coronam: coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. & immarcescibilem gloriæ coronam, 1. Petr. 5. v. 4. quam cum Reges gestabimus in æternum, Apoc. 1. v. 6. Compatiamur igitur Christo, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

2. *Sub imagine convivii.* Ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo, ait porro Servator. Quod non ita capiendum, quasi in vitâ æternâ corporali cibo & potu nos refecturi simus. Regnum enim Dei non consistit in cibo & potu: sed in justitiâ, pace & gaudio Spiritus sancti, Rom. 14. vers. 17. erimus quippe *ισχυριλοι*, Matth. 22. v. 30. non esurientes, neque sitientes amplius, Apoc. 7. v. 16. Allegoricè igitur Christus discipulis suis gaudium vitæ æternæ adumbraturus est. Sicut enim lætamur, quando Deus sternit *Mensam naturæ*, & educit panem è terrâ, ut confirmet cor hominis, & vinum, ut lætificet cor hominis, Psal. 104. v. 15. 16. & instruit *Mensam gratiæ*, quam ornat pane & aquâ vitæ, Joh. 4. v. 14. cap. 6. v. 48. qui est Christus in verbo & Sacramentis. Ita & exultabimus, quando nobis instruet *Mensam gloriæ*, ubi in visione Christi & SS. Trinitatis, comedemus, saturabimur & jubilabimus, Esa. 65. vers. 13. 14. Psalms. 23. v. 5. 6.

3. *Sub imagine iudicii.* Sedebitis, ait Servator, super thronos, iudicantes duo-

decim Tribus Israel. Equidem Christus constitutus est à Patre iudex vivorum & mortuorum, Act. 10. v. 42. attamen & Apostoli iudicabunt, non *autoritative*, ut Christus: sed 1. *testificative* per verbum quod prædicarunt, & Ecclesiæ reliquerunt. 2. *approbative*, dum Christi sententiam approbavunt, ad quam gloriâ etiam omnes electi pertingent. Vide 1. Cor. 6. v. 13.

Hinc *juvanda consolatio* fluit, pro iis, qui in hoc mundo sæpè inique iudicati & condemnati sunt, sicut Nabothus ab Achab & Isebele, 1. Reg. 21. v. 13. Susanna à duobus iudicibus, Hist. Sus. v. 41. Stephanus, ad calumnias Judæorum, Act. 7. v. 57. 58. Die novissimo ipsos falsos iudices vos iudicabitis, vos mei, videntes illi id, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus: & dicentes intra se &c, Sap. 5. v. 2. seqq. Vos verò oculis vestris considerabitis, & retributionem impiorum videbitis, Psal. 91. v. 8.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Magistratum DEI ordinem agnosce.* Christus hic officium Magistratus politici non improbat, sed innuit saltem, quid illorum officii sit, videlicet *dominari & beneficium esse*, & hoc ipso omnes subditos ad obedientiam Magistratui præstandam, hortatur, quod & Paulus facit, Rom. 13. v. 1. seqq.

Hæc Regula non tantum ad bonos & æquos, sed & ad discolos se extendit, mo-

nente

mente Petro, 1. Epist. 2. v. 28. ubi quidem Apostolus de officio servorum loquitur, sed ratio ob quam obedientiam præstare debeant, communis est, nempe ratione Domini, propter quod & Christiani subditi esse tenentur: nam & iniquus Magistratus à Deo est, quod substantiam concernit, quamvis vitia annata non ab eo sint, nimirum crudelitas, tyrannis, & id genus alia.

Absurdum Judæis videbatur, quod peregrino & ethnico Magistratui obedire cogebantur, nec id sui officii esse putabant: Et tamen Servator dicebat: Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, cum sub Imperio Tiberii degerent, Matth. 22. v. 21. Interim & hoc observandum, si ille quicumque Deo, ejus verbo, & conscientia repugnet, præcipiat, quod tunc Deo magis obediendum, quam hominibus, Act. 5. v. 29. nec hinc tam metuendi sunt, qui corpus occidunt, animam verò occidere non possunt: quàm qui corpus & animam perdere potest in gehennam, Matth. 10. v. 28.

Id quod probe observavit Sidrach, Misach, & Abednago, cum enim Nabuchodonosor illos cogere vellet, ut auream statuam adorarent, aliàs in fornacem ignis ardentis mitterentur, dixerunt illi: Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare &c. Dan. 3. v. 17. Hinc verò nequaquam licitum, vi & armis se opponere. Qui enim hoc modo gladium acceperit, gladio peribit, Matth. 26. v. 52. Ex hac causâ nec primi Christiani diris persecutiombus se opposuerunt, ut Cyprianus testatur: *Quamvis nimius &*

copiosus sit noster populus, non tamen adversus violentiam se ulciscitur, patitur.

Israelitæ nimium gravati erant iniquis servitiis, sub Regibus Ægyptiis, attamen non repugnabant, sed divinum ordinem intuentes, patienter ferebant, & Deo, quem sollicitè invocabant, vindictam committebant, qui & tandem potenter eos liberabat, Exod. 2. v. 25.

Contra verò quando subditi adversus ordinarium Magistratum insurgunt, & seditionem movent, judicium grave acquirunt sibi, Rom. 13. vers. 2. sicut Core, Dothan & Abiron experti, vivi à terrâ idèò absorpti, Num. 16. v. 32. Ideò necessitate, subditi estote, nò solum propter iustitiam: sed & propter conscientiam, Rom. 13. v. 5.

II. *Clementiam ergà subditos exerce.*
Quod Servator à quolibet Magistratu requirit, inquit: Qui potestatem habent, benefici vocantur. Quod si igitur Magistratus rem cum nomine gerere velit, beneficium sese exhibeat necesse est, alias nomen habent quod vivant, & mortui sunt, Apoc. 3. v. 1.

Nonnunquã tyrannici Magistratus occurrunt, ut Pharaon, qui prohibebat populo dare paleas ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi stipulas colligere cogebantur, nec quicumque minuebatur de mensurâ laterum, quam prius fecerant, Exod. 5. v. 7. seqq. Hæc magna fuit sævitia; non multò melius egit Roboam, Vide 1. Reg. 12. v. 14.

Christiani Magistratus potestatem suam cum beneficentiâ temperent, secus res sæpè eventum sortitur infelicem, ut exemplum Roboam luculeater ostendit, ad cuius durum Responsum decem Tribus in Israel ab eo defecerunt, 1. Reg. 12. v. 15.

The-

Themistocles aliquando ab incolis Infulæ Andri tributum exigebat, his propterea conquerentibus, dixit: Affero ad vos duos Deos, quorum alter *πλοιο* benevolentia, alter *βία* violentia vocatur. Cui illi regerebant: Totidem Deos & nos opponimus, *πενία* paupertatem scilicet, & *δυστυχία* desperationem. Nam qui vehementer emungit nares, elicit sanguinem, Prov. 30. v. 33. Tales sunt qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem, sicut escam panis, Pſal. 14. v. 4. Quos Deus graviter ita alloquitur: Audite Principes Jacob, & Duces domus Israel? Mich. 3. v. 1. seqq.

Multò melius commendatur Josephus, qui pater patriæ dicitur, Genes. 41. v. 43. sine dubio, quia populum benignè audivit, paternè illis præfuit, & eorum salutem meliori modo promovit: hujus vestigiis qui insistant, benefici verè sunt, & conciliant sibi subditos, ut ab iis amentur, sicut David à subditis suis, 2. Sam. 19. v. 42. seqq. Talem beneficium Magistratum subditi precibus suis assidue DEO commendant, quæ multum valent, Jac. 3. v. 16. Vide Sap. 2. v. seq. c. 1. v. 1.

Videte verò ne *beneficentiæ* obliviscamini, secus sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis, Pſal. 82. v. 7.

III. *A dominio non competente abstinere.* Hoc in specie Clericis dictum est, in verbis Christi: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic.

In Papatu hæc Christi sententiâ parùm attenditur, sed ibi Clerici & politicum Regimen invadunt, dicentes: Ecce hinc duo gladii. Sed quomodo, obsecro, clarior discrimen fieri posset inter statum Ecclesiasticum & Politicum, quam Christus hinc facit? Siracides quemlibet officii sui admonet, dicens: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris: sed quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non enim prodest tibi ea curare, quæ abscondita sunt, Sir. 3. v. 21. seqq. Unusquisque, in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum, 1. Cor. 7. vers. 24. Hoc modo tranquillâ gaudet conscientia, & placidè ex hoc mundo decedere potest, ubi Deus illi fidelitatem suam copiose remunerabit, & introducet in gaudium vitæ æternæ, ubi videbit Deum à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12.

Id quod nobis Deus gratiosè largiri dignetur, per & propter Christum Jesum, Amen.

IN